DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DIABETE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS VERNON,
JAIMACENSIS,
SOCIETATIS REG. PHYS. EDINEN. S. H.
NEC NON,
SOC. AMERIC. PHYSIC. EDINEN. SOC. EXTRAORD.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

—— In a doubtful theme
Engag'd I wander through mysterious ways.

ARMSTRONG.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO.
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

THOMÆ NASMYTH, M. D. S. P. D.

JACOBUS VERNON.

Hanc occasionem, vir mihi in primis grate et accepte, opusculum hocce inaugurale tibi dicandi lubentissime arripio. Et cuinam alii præterea consecrari debet; namque, te duce et auspice, prima medicinæ elementa didici, et, in obscuris et perplexis, facem mihi præferre volens et amicus nunquam recusasti? Omnia bona et prospera, per totum vitæ decursum, tibi tuisque abunde contingant, et pro certo crede, me tuæ amicitiæ stabilis et intemeratæ nunquam fore immemorem.—Vive valeque.

Idibus Juniis, 1796, *Edinburgi, dabam.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIABETE.

JACOBO VERNON, Auctore.

Hic morbus antiquos non latuiſſe videtur. Non obſcure a Celſo depingitur. Quanquam hodie haudquaquam frequenter ſemet oſtendit; olim tamen multo rarior fuiſſe videtur. Etenim duos ejus caſus tantum vidit Galenus, quanquam,

multos in annos, Romæ medicus fuit primarius. Complures auctores, e tempore Celſi, eum ſunt executi. Quod vero notabile, nemo, ante Williſium, dulcedinis urinæ mentionem fecit. Cæterum ex quo hanc proprietatem monſtravit, in pleriſque ejus exemplis fuit notata.

DEFINITIO MORBI.

"Urinæ præternaturalis, copia immodica, profuſio chronica *."

Duæ ſpecies idiopathicæ a noſologis diverſis fuerunt enumeratæ.

1. "Diabetes (Mellitus) cum urina odoris, coloris et ſaporis mellei."

2. "Diabetes

* Culleni Gen. Morb. G. LXII.

2. " Diabetes inſipidus, cum urina limpida, non dulci."

Prior, ut ſupra fuit comprehenſum, multo frequentius ſemet oſtendit, et ea eſt, de qua potiſſimum verba faciemus. Poſterior tam raro accedit, ut Cullenus celeberrimus, unam ſpeciem idiopathicam tantum eſſe, exiſtimare ſibi in animum induxerit. Cum vero ipſe poſtea unum ejus exemplum viderit, quod nulli alii morbo potuit referri; et quidam alii alia notaverint, eam retinendam judicavi.

HISTORIA.

Morbus plerumque gradatim accedit, et aliquamdiu ſubeſſe ante poteſt, quam ad eum attenditur. Quod ſignum primum notari conſuevit, id plerumque eſt frequens urinam reddendi deſideri-

um ; et quantitas ſolita major excernitur. Quantitas urinæ et deſiderium potus ex æquo increſcunt. Os gradatim magis magiſque areſcit, et ſaliva eſt albida, viſcida et ſpumoſa, et ad eam expuendam admodum pronus eſſe videtur ægrotus. Contra, vir illuſtris, fide ſumma digniſſimus, mihi affirmavit, ſe os humidum ſemper offendiſſe, licet ſitis, eodem tempore, non modica foret. Quæ urinæ quantitas excernitur, ea, ſupra fidem, augetur. Sitis, ſub initia, modica. Auctus ejus profluvio urinæ, pro rata ratione, reſpondet. Prout ſitis intenditur, calor ſolito major in viſceribus abdominis percipitur, qui, morbo progrediente, ægrotum magnopere torquet, et doloribus ſtipatur, qui ſemet ad regionem lumborum extendunt. Poteſtas urinæ, in ſpatium temporis diuturnius, retinendæ, gradatim diminuitur, et ſenſus doloris ægrotum, ex intervallis breviſſimis, eandem excernere ſæpe cogit. Cutis areſcit, et ſquamoſa fit ; et ulcera, in partibus corporis diverſis, ſuboriuntur, quæ ſanatu difficillima ſunt, ad ſanitatem reductum recente mox excipiente. Alvus plerum-

que adſtricta eſt; et appetitus cibi ſolidi, qui, ſub initia, permagnus eſt, prout morbus progreditur, decreſcit, donec, ad extremum, alimentum omnigenum averſetur ægrotus. Nihilominus tamen magna inquietudo, in regione ventriculi, cum ſenſu eſuriei perpetuæ, percipitur. Vires gradatim diminuuntur, et notæ debilitatis ſeſe manifeſte oſtendunt. Tumores œdematoſi in partibus corporis diverſis, ut in femoribus, cruribus et pedibus, noctem verſus præſertim, apparent; ſed, mane appetente, rurſus decedunt. Si ægrotus, in ſpatium temporis etiam brevius, excretionem urinæ cohibeat, tumores aliarum partium, ut lumborum, teſtium, &c. oriuntur, et ſemet diffundunt. Signa nonnunquam aſcitæ in conſpectum veniunt, adeo ut fluctuatio in cavo abdominis plane percipi poſſit. In quinque aut ſex dies manet, et deinde gradatim decedit, et iterum, ex aliquo brevi intervallo, redit, morbum primarium vel idiopathicum nulla ex parte mutans. Volæ manuum plantæque pedum frequenter caleſcunt; quod ſignum, noctem verſus, augetur. Si ſudor, quod quidem

raro

raro incidere videtur, ſub initium noctis, prorumpit, nonnunquam univerſus eſt, et odorem ſubacidum ingratum habet. Pulſus arteriarum octoginta vel nonaginta, intra minutum, plerumque non excedunt; ſed, per hecticos paroxyſmos, qui fere ſemper, morbo provectiore, accedunt, multo frequentiores evadunt, centies et quindecies, vel centies et vigeſies, ſingulis minutis, micantes. Corpus ſqualidum macrumque evadit, mens inquieta et mutabilis, cum aliquanto mœſtitiæ, quod nullo modo depelli poteſt. Omnibus hiſce ſignis increſcere pergentibus, convulſiones tandem accedunt, et mors miſeriarum ægroti finem facit.

Signa aliquando, ab initio uſque, violenter urgent, et ægrum, ſpatio quinque aut ſex hebdomadarum, conſumere poſſunt; plerumque vero tardiſſime progrediuntur, et morbus, in annos, producitur, antequam ægrotum occidit.

Quantitas urinæ totum cibum potionemque plerumque excedit. Interdum tanta eſt, ut, pauculis

diebus,

diebus, pondus totius corporis plus quam adæquet, adeo ut mors haud dubie ei inferretur, nisi hæc differentia ingesta inter et excreta, per aliquem fontem externum pensaretur, et nullum alium, præter absorptionem cutaneam, novimus.

Urina non tantum quantitate, sed etiam dotibus, præternaturalis est. Namque species diversas præ sese fert, sapore et odore admodum varia. In priore specie, vel diabete mellito, odorem et saporem subdulcem habet, et evaporata quantitatem materiæ saccharinæ præbere plerumque reperitur. Color ejus nonnunquam opacus est, et misturam mellis et aquæ dilutissimam refert. Plerumque tamen omnino pellucida est, et nonnihil flavæ viriditatis singularis exhibet, sub certa luce spectata. Servata nihil sedimenti plerumque ostendit. Aliquando pellicula in superficie formatur. Urina ægroti, qui, æstate anni 1794, curæ viri clarissimi Doctoris Gregory, in cubiculo clinico Nosocomii Regii Edinensis, semet mandaverat, sequentes dotes habere reperiebatur. Novem ejus unciæ, evaporationi

porationi ſubjectæ, unam materiæ ſaccharinæ conſtanter edebant, quæ odorem omnino eundem, ac mel, habebat. Quod ſuperfuit, in igne omnino conſumebatur. Nullo cereviſiæ cremore ei adjuncto, fermenteſcebat, et liquores igitur ſpirituoſi ex ea, per deſtillationem, eliciebantur. Nullam mutationem in colorem rubrorum et cæruleorum vegetabilium infuſorum edebat. Vapores nullos alkali volatilis emittebat, calce viva, vel alkalinis fixis ei admiſtis. Gravitas ejus ſpecifica aquæ propriæ, ut 1 : 0407, et urinæ ſanæ, ut 1 : 0106, reſpondebat. Colorem uſitatum habebat, ſed propemodum odoris expers erat.

In ſpecie altera, vel diabete inſipido, nihil ſaporis dulcis habet, ſed urinam communem vehementer redolet. Non ſaporis dulcis eſt, et forſitan, evaporata, nihil materiæ ſaccharinæ edit. Quod vero dolendum eſt, nulla experimenta in eam adhuc fuerunt inſtituta.

INCISIONES CADAVERUM.

Utilitatem harum, in lumine naturæ plerorumque morborum offundendo, magnam esse omnes hodie una voce confitentur; quanquam, quod magnopere dolendum, naturam diabetis parum hucusque illustrarunt. Petrus Parvius memoriæ prodit, renes puellæ, quæ hoc morbo, in aliquot annos, laboraverat, præter consuetudinem flaccidos, et colore cinereos, fuisse repertos, et sanos rubore non adæquasse. Quinetiam celeberrimus Hoffmannus exemplum posteris tradendum curavit, ubi, cadavere hominis, qui hoc morbo diu fuerat conflictatus, dissecto, concreta calcarea, in viis uriniferis inhærentia, fuerunt reperta; ubi dexter ureter magnopere dilatatus; ubi dexter ren insuper magnitudinem naturali et sana duplo majorem sibi fuerat adeptus. Reliqua abdominis viscera

quoque interdum morbo laborare reperiuntur, præſertim hepar. Hoc in cauſa eſſe videtur, cur Meadius celeberrimus, et plerique alii medici, exemplum ejus ſecuti, ſedem hujuſce morbi in hepate, non in renibus, eſſe poſuerint. Vir ingenioſiſſimus, Doctor Myers, qui optimam hujus morbi hiſtoriam, quam adhuc offenderimus, tradit, inciſionem cadaveris cujuſdam, qui cum hoc morbo, longum in tempus, colluctatus, et tandem, in conclavi clinico, viro illuſtriſſimo Doctore Home ægros curante, fuerat mortuus, accuratiſſime verbis ſequentibus deſcribit. "Renibus patefactis," inquit ille, "ſiniſter præter conſuetudinem amplus, et ſubſtantia mollis. In duas partes æquales, ad lineam horizontalem, diviſus, nihil fere pelvis, quæ ex toto propemodum fuit deleta, oſtendit, et nihil amplius potuit videri, quam ureter certæ ſubſtantiæ ejus parti adjunctus. Tubuli uriniferi, quam ſanitate ſubſtante, multo minus evidentes et manifeſti fuerunt. Dexter, eodem modo inciſus, ſpeciem magis ſanam et naturalem præ ſeſe tulit, et pelvis uſitatam magnitudinem habuit. Ureteres

non

non, præter naturam, adaucti. Subſtantia utriuſque renis odorem emiſit ſubacidum. Omnes et meſenterii et meſocoli glandulæ intumuerant, colore pallidæ, ſubſtantia modice firmæ. Syſtema meſenterii ſanguiferum aliquantum adauctum. Hepar ſpecie ſanum et naturale fuit, ſed nonnullis in locis, colo firmiter adhæſit. Nulla lymphatica in veſica urinaria, quæ tunicis, præter conſuetudinem, valida fuit, potuerunt notari. Reliqua abdominis et thoracis viſcera omnes ſanitatis notas habuerunt *."

DIAGNOSIS.

Si omnes hujuſce morbi æque, ac hæc, partes clare forent, morbis ſimpliciſſimis, quos noverimus, poſſet adnumerari. Urina, copia immodica, profuſa, et ſitis permagna ad hunc morbum a quolibet

* Vide Doctoris Myers Diſſert. M. Inauguralem, Edin. anno 1779 editam.

libet alio ſecernendum plane ſufficiunt. Unicus quidem morbus, quocum confundi periclitatur, eſt urinæ incontinentia. Si vero notaverimus, quod deſideria urinam reddendi, in diabete, licet frequentiora et manifeſte morbida ſint, animi imperio parent, ſed, in urinæ incontinentia, ei obedire conſtanter recuſant; nihil difficultatis omnino in illo ab hac diſtinguendo reperire valebimus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Pleræque ex his, quæ ab auctoribus recenſitæ fuerunt, tales ſunt, quales debilitatem faciendo, et aſſimilationem alimenti diminuendo vel retardando, agunt. Quinetiam non pauculæ ex his, curſum humorum renes verſus faciendo, effectus ſuos edunt, et, ut materia nutriens e corpore prius evacuetur, quam rite fuit concocta et aſſimilata, faciunt.

a.—Uſus

a.—Usus liquidorum cujuslibet generis, ut theæ, liquorum spirituosorum, aquarum mineralium, &c. nimius ventriculum distensione, quam faciunt, debilitare potest. Duo priora vero præsertim ventriculo, quod neminem latet, potestate sua narcotica valentissima, vires, modum in mirum, convellunt. Hoc modo concoctio et assimilatio lædi possunt, et experientia quotidiana evidentissime demonstrat, quantitatem urinæ nimis eorum, præsertim si calida fuerint, sumendo plurimum augeri.

b.—Evacuationes immodicæ. — Hujuscemodi sunt, profluvium urinæ, diureticis acribus aliisque irritantibus, renibus admotis, factum; magnæ sanguinis detractiones, nimiæ seminis excretiones, &c. quæ, per magnam debilitatem, quam haud dubie progignunt, potestates assimulantes debilitare periclitantur. Igitur quantitas materiæ saccharinæ, præter consuetudinem, magna in systemate accumulabitur, renibus stimulo erit, excretionem urinæ augebit, et una cum ea præmature descendet.

c.—Defa-

c.—Defatigatio.—Compertum habemus, corpus, plerifque in exemplis, modica exercitatione corroborari. Si vero non citra defatigationem fit, eam debilitas et irritabilitas haud dubie excipient. Hinc, ob rationem modo pofitam, labor durus; curfus, equitatio et ambulatio nimia, diabetem movere periclitantur. Nec hoc mirandum eft, fi principia fupra comprehenfa refpiciantur.

d.—Frigus.—Si corpori, in fpatium temporis breve, et modice, applicetur, id univerfum corroborat, et circuitum humorum, in vafis cutis extremis, liberum promovet, ut rubor hujus evidenter oftendit. Si vero intenfius fit, et, in tempus diuturnius, corpori admoveatur; vel fi, a minore ad majorem gradum fubito tranfeatur, res longe aliter fefe habet. Effectum fedantem plane edit. Quod cum incidit, actio vaforum cutis diminuitur, et, ob confenfum magnum, qui eam inter et ventriculum intercedit, hic perturbari, et ita concoctio depravari et diminui periclitatur. Quinetiam,

ob

ob perſpirationem cohibitam, impetum humorum renes verſus adauget.

e.—Affectus animum contriſtantes.—Hujuſcemodi ſunt metus, mœſtitia, &c. quæ, ut neminem fugere poteſt, corpus plurimum debilitant, et organis concoctioni inſervientibus potiſſimum nocent. Pallor quidem faciei, aliarumque corporis partium externarum, circuitum humorum ibi diminui plane evidenterque oſtendit. Denique excretio urinæ adaucta, quæ affectus animi hoc genus nonnunquam comitatur, eos copiam humorum inſolitam ad renes deducere, ultra omnem dubitationem, teſtatur.

Hæ ſunt cauſæ præcipuæ, quæ, ut diabetis genitrices, fuerunt commemoratæ. Nonnihil vero amplius ad morbum excitandum neceſſarium eſſe videtur; namque eas omnes corpori, ſingulis diebus, admoveri, et nullum tamen effectum edere reperimus. Et plerumque quidem nullæ aliæ detegi poſſunt.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Multæ opiniones diverſæ, ſuper natura hujuſce morbi, poſteris traditæ fuerunt; nulla tamen earum ad omnia ejus phœnomena ſatis lucide exponenda ſufficit.

Joannes Dolæus, in ſua Encyclopœdia Medica, unius, quæ a vi imaginandi ſola potuit proficiſci, et omnino improbabilis mentionem injicit. "Tubulos," ait ille, "iſtos per omentum ex fundo ſtomachi prodeuntes nimis laxatos culpo; per hos enim patentiores ductus, ſine mora, pergit ad renes, quicquid eſt potulenti; ad cor enim potus, in diabete, non poteſt deferri, quia impoſſibile eſt, potum per cor ita ſtatim tranſire, et cum ſanguine ad renes deferri, &c. *.

Quod

* P. 583 et ſeq.

Quod vero hanc opinionem ex toto convellit, eſt hoc, quod nulli ex anatomicis, quos hocce ſeculum viderit, accuratiſſimis ullos ex hiſce tubis unquam videre valuerint. Et error omnino anilis eſt, opinari, potionem, ad renes uſque, via cordis, æque cito eodemque tempore, non poſſe tranſire. Namque vaſa lactea quemlibet liquorem, ventriculo receptum, æque cito, ac hi tubuli, abſorberent, ſi revera exiſterent, et æque cito ad cor propellerent; adeo ut non tardius, vel propemodum æque celeriter, in veſicam uriniferam, deferretur, ac, per hoſce tubulos, devehi poſſet, et ſanguinem, eodem fere momento, ingrederetur, ſive hac, ſive illa ratione proveheretur. Et, quod compertum habemus, ſanguis totius corporis, ſpatio minutorum quinque, per utrumque ventriculum tranſire conſuevit.

Eadem autem argumenta cum opinione, a juvene claro Carolo Darwin prolata, ex æquo pugnant.

Willisius celebris* memoriæ prodit, morbum a sanguine dissoluto, vel lympha coagulabili et crassamento non rite commistis oriri. Cæterum partes, unde sanguis conflatur, nunquam a se invicem dissociantur, nisi lympha ipsa coagulabilis, quæ omnes inter sese conjungat, et spissitudinem illis justam conciliet, sit dissoluta. Quod si incidit, nullam causam justam videre possum, cur humores non ex omnibus vasis, excernentibus æque, ac e renibus propriis, effundantur, ut in morbis, qui ad putredinem multum vergunt, incidere consuevit.

Junckerus ingeniosus actionem vasorum renum secernentium, admodum abnormem, pro causa hujusce morbi proxima habet, quæ, eo judice, ut non solum serum, sed etiam lympha, a pinguedine liquefacta deducta, in tubulos uriniferos, magno cum impetu, propellatur facit †. Quin actio vasorum renum secernentium abnormis moveatur, ambigi nequit. Hanc vero causam morbi solam non esse,

* Oper. tom. II. p. 90.

† Conspect. Med. p. 799.

esse, hinc evidentissime patet, quod sæpissime semet ostendit, verum diabetem idiopathicum minime procreans.

Listerus*, contra, morbum non ab ullo renum vitio, sed ab ardore ventriculi et intestinorum intenso, qui potiones, utcunque lenes sint, vi admodum diuretica acrique impertiri potest, oriri affirmat. Hanc opinionem vero ut refellamus minime necesse est; namque nulli alii fundamento, quam theoriæ meræ futilique, innititur. Et postea ostendemus, ardorem ventriculi et intestinorum non excretionem urinæ adauctam facere, sed ab eadem, ut merum effectum, recta proficisci.

Denique Boerhaavius† celeberrimus, qui facile pro lumine sui seculi præcipuo medico habebitur, diabetem nimiæ arteriarum renalium, quæ urinam secernunt, laxitati et debilitati referri debere affirmat. Quinetiam huic humores dilutiores adjungit.

* Exercit. Medic. p. 64.

† Prælect. Acad. tom. III. p. 174.

jungit. Prior caufa quidem morbum aliquando gignere poteft; fed nulla ratio fubeffe videtur, cur humores morbide tenues effe credamus. Namque urina, non raro, aliquamdiu fervata, ferum lacve dilutius, etiam nonnunquam, refert. Quod tantum abeft, ut urinam folita tenuiorem, ut, contra, eandem, præter confuetudinem, craffam effe teftetur.

Denique vir celeberrimus, Doctor Cullen, in prælectionibus fuis practicis, caufam hujufce morbi triplicem effe poffe contendit.

1. Nimium fanguinis renes verfus impetum.

2. Laxitatem vaforum renum fecernentium, præter confuetudinem, magnam.

3. Conditionem fanguinis certam, quæ, ut e renibus nimis copiofe effundatur, facile poteft facere.

Duas priores ad phænomena morbi explicanda minime fufficere jam vidimus. Igitur tantum opus

eft,

eſt, ut animum ad poſtremam conſiderandam adjungamus. Hanc revera incidere, minime poteſt negari. Vir celebris, Doctor Dobſon, eam ab aſſimilatione imperfecta pendere probabile reddidit. Quo vero notitiam hujuſce morbi naturæ claram habeamus, in quonam hæcce imperfectio conſiſtat, ſciamus oportet. Hoc vero omnino ignotum eſt, et ita reſtet oportet, donec plus luminis, quam in præſentia, argumento fuerit offuſum.

EXPLICATIO PAUCULORUM E SIGNIS PRÆCIPUIS.

1. Quantitatis urinæ, quæ excernitur, magnæ. Hanc a nullo alio fonte, quam ab humoribus ipſis diſſolutis, cum ingeſta tantopere excedat, oriri poſſe multi ſibi in animum induxerunt. In hoc vero, ex toto decipiuntur; namque nullæ notæ ſunt in morbo reperiundæ, quæ humores colliquefactos eſſe probant. Immo, contra, urina calori,

qui

qui ut ebulliat facit, objecta minime cogitur*, quod nihil lymphæ coagulabilis ei inesse plane et evidenter ostendit. Namque hæc reliquarum sanguinis partium vinculum est; et, cum nihil hujus in urina diabetica reperiatur, reliquæ partes dissolvi nequeunt, sed per hujus præsentiam conjunctæ tenentur. Origo igitur unica, unde tanta urinæ quantitas derivari potest, est absorptio cutanea. Aer enim semper tanto humore repletur; ut magnæ ejus quantitates non absorberi non possint. Denique vis lymphaticorum cutis absorbens, hoc in morbo, multum intendi videtur.

2. Magnæ sitis, quantitatis salivæ exiguæ, caloris ventriculi et intestinorum, cutis siccæ. Compertum autem habemus, una secretione præter naturam adaucta, reliquas, pro rata ratione, diminui solere. Jam vero vidimus, omnes causas, quæ diabetem movent, ad secretionem urinæ augendam plane conferre. Idcirco minime mirandum est, secretionem, in reliquis partibus, diminui. Unde omnia signa, supra comprehensa, recta profluunt;

et

* Vide Dobson's Experiments, L. M. Observ.

et violentia eorum, ut experientia docet, quantitati urinæ excretæ, pro rata ratione, respondet.

3. Odoris sudoris subacidi. Cum tanta materiæ saccharinæ quantitas in sanguine contineatur, cumque hæc ad fermentationem omnigenam proclivis sit, et nonnihil hujus, etiam intra corpus, forsitan subeat, minime mirandum est, humores excretos odore subacido, fermentationis vinosæ progenie, esse imbutos. Si vero de fermentatione hujuscemodi, intra corpus, dubitetur, quidnam, quæso, obstat, quominus sudor, cum jam prorupit, vestimentis cohibitus, et ei calori, qui nunquam non in superficie corporis offendendus, objectus fermentationem hic subeat, et sudorem subacidum, de quo agitur, progeneret?

4. Dotium urinæ præternaturalium. Hæ autem dulcedine et magna materiæ saccharinæ quantitate continentur. Illa ab hac evidentissime pendet. Nonnulla quidem sunt exempla, ubi dulcedo omnino deest. Hoc incidit, cum vires concoctri-

ces

ces non multum debilitatæ ſunt, et alimenta ſumpta in chylum bonum nutrientemque converti pergunt. Cum vero poteſtates aſſimilantes magnopere infractæ ſunt, chylus non amplius rite concoquitur, et proceſſus fermentationis, cui, intra corpus, objici videtur, non ultra ſtadium vinoſum progreditur. Hinc materia ſaccharina, quæ alimentis, potiſſimum vegetabilibus, ineſt, utpote quæ corpori nutriendo inſervire non diutius apta ſit, in totum ſyſtema diffunditur, renibus ſtimulo eſt, et una cum urina deſcendit, hanc ſapore dulci impertiens.

5. Tumorum, qui in partibus inferioribus ſemet oſtendunt, hydropicorum, et corporis emaciati. Hæc ſigna autem adeo plana intellectuque facilia ſunt, ut vix ullius explicationis indigere videantur. A debilitate originem plane deducunt, quæ nunquam in corpore, tanto urinæ profluvio laborante, et tantum materiæ ſaccharinæ, quæ ad id alendum a natura deſtinatur, ſingulis diebus, immo ſingulis momentis, perdente deeſſe poteſt. Et eadem

quidem

quidem ſigna, ſub finem omnium morborum ab infirmitate proficiſcentium, ſemet oſtendunt. Tumores hydropici in partibus inferioribus oriuntur, quod humores ibi, contra gravitatem ſuam, aſcendant neceſſe eſt. Igitur difficilius propelluntur, et accumulari periclitantur.

PROGNOSIS.

Eventus morbi fauſtus vix unquam tuto præſagiri poteſt. Per ſtadia maturiora, nonnunquam depulſus fuiſſe dicitur. Et exemplum ad notitiam meam nuper pervenit, ubi, pneumonia accedente, dulcedo urinæ ſublata eſt; ſed poſtea omnia ſigna, diabeti propria, repetiverunt, et ægrotum extinxerunt. Et alia ſimilia non deſunt. Exempla vero nulla ſunt, quibus fides debet haberi, ubi, poſtquam ſigna clare apparuerant, ex toto fuit curatus. Signa quidem aliquando tolluntur, ſed mox redeunt,

cum ufu medicamentorum defiftitur. Nonnunquam omnia figna, ab initio ufque, adeo urgent, ut, fpatio quinque vel fex hebdomadarum, finiri poffint. Aliis in exemplis, in complures annos, produci poteft. Periculum, ne ægrotum cito rapiat, debilitati dotibufque urinæ, pro rata ratione, refpondet. Quo magis hæc ingefta excedet, eo citius exitus funeftus fperandus.

RATIO MEDENDI.

Confilia autem medendi idonea fequentia effe videntur.

I. Signa, quæ maxime urgent, levare.

II. Impetum humorum, renes verfus factum, diminuere.

III. Syſtema univerſum corroborare, quoniam morbus non a debilitate renum ſolorum, ſed totius corporis, pendere videtur.

I. Quæ ſigna levari præcipue debent, ea ſunt macies corporis, ſitis, durities alvi, &c.

Quantum ad maciem corporis attinet, ea ab aſſimilatione ſubſtantiarum et animalium et vegetabilium imperfecta pendere videtur. Ad eandem creandam quoque confert deſcenſus, per renes, materiæ nutrientis præmaturus. Quo huic igitur occurratur, aſſimilationem conditioni naturali reſtituere, et, ne materia nutriens per renes evacuetur, cavere conandum eſt. Si poſterius rite præſtare poſſemus, maciei forſitan ſubveniretur. Quantum aſſimilationem imperfectam ſpectat, quod magnopere dolendum eſt, natura aſſimilationis imperfectæ tenebris ſpiſſiſſimis involvitur; et igitur, quomodo ei obviam iri debeat, mortales ex toto ignorant.

Quantum ad duritiem alvinam attinet, ei optime

occurrent laxantia leniora, qualia ſunt oleum ſimplex, vel, cum ſignum pertinax eſt, tinctura jalapii vel ſenæ ei adjuncta, &c. Purgantia ſalina non in uſum revocanda, quoniam excretionem per renes adaugent. Sitis denique reſtinguenda uſu aurantiorum, vel tamarindorum, aut quorumlibet aliorum aſceſcentium, ægrotanti conceſſo.

Vir Clariſſimus, qui nomen magnum in medicina ſibi merito adeptus eſt, me certiorem fecit, ſe carnem adipoſam, butyrum et alias res oleoſas, ad ſitim reſtinguendam efficaciſſima omnium fuiſſe compertum.

II. Quæ remedia huic conſilio reſpondent, ea ſunt.

a. Diaphoretica.—Hæc in uſu, in aliquantum temporis, communi fuerunt. Nonnulli potentiſſima diaphoretica, vel potius ſudorifica, ut pulverem Doverianum, &c. in uſum revocarunt. Cum vero tantam debilitatem faciant, in uſu eorum

non

non diu poteſt perſtari. Perſpirationis liberæ promovendæ conſilio tamen adhiberi poſſunt, quæ poſtea, veſtimenta lanea proxime cutem gerendo, conſervanda eſt. Hoc modo impetus humorum cutem verſus augeri, et renes verſus diminui poteſt. Namque hoc verum eſſe omnes confitentur, unam ſecretionem augere eſſe aliam efficaciſſime diminuere.

b. Emetica.—Hæc, in morem diaphoreticorum, curſum humorem ad cutem augendo, et eundem ad renes minuendo, agunt. Propter actionis vero violentiam et magnam, quam faciunt, debilitatem, raro, aut nunquam, in uſum tuto revocari poſſunt. Vomitionem vero utilem fuiſſe, ab exemplo a Doctore Myers adducto evidenter apparet. "Exemplum vero," inquit ille, "ægroti memoriæ traditum eſt, qui vomitione adeo gravi, ut mortem ei intentaret, correptus eſt, quique nihilominus e diabete ex toto, brevi, convaluit*."

c. Balneum

* Vide Diſſ. Inaug. Edin. anno 1779, editam.

c. Balneum tepidum regioque calida.

Quantopere prius cutem relaxet, et quantum ad ſudorem movendum conferat, neminem latere poteſt. Igitur eodem modo, quo medicamenta ſupra comprehenſa, agit. Quantum ad regionem calidam attinet, pro ſpecie quaſi prioris habenda eſt; et operationem ei propriæ conſimilem habet.

d. Exercitatio.—Hæc, modice adhibita, circuitum in vaſis cutis extremis promovendo, vim tonicam in corpus exercendo, et animum ægrotantis mœſtitia, quacum plerumque colluctatur, liberando, plurimum prodeſſe conſuevit. Cum ægrotus plerumque admodum debilis ſit, et defatigatio ei noceat, geſtatio unica fere forma eſt, qua poteſt adhiberi, qualis eſt equitare, rheda vehere vel navigare. Hæc perſpirationi amiciſſima eſſe, e duritie alvi et quantitate urinæ diminuta, quas faciunt, evidentiſſime patet.

e. Fricatio.—Hæc propemodum pro ſpecie

exercitationis

exercitationis haberi poteſt. Circuitum in vaſis cutaneis liberiorem faciendo agit, et partem, cui applicatur, corroborat. Hoc exercitationi præſtat, quod omnibus temporibus, omnibus locis, et ab omnibus hominum ordinibus, adhiberi poteſt.

f. Unctio—Corpus univerſum oleo inungere multum prodeſſe fuit repertum. Illuſtriſſimus Gregorius de caſu meminit, ubi omnia ſigna, hac ratione, ex toto depulit. Morbus vero, intra paucos menſes rediit, et ægrotus noſocomium reviſit. Cum vero Doctorem non ibi reperiſſet, id ingredi noluit; ſed domum repetivit, et, cum, in aliquantum temporis, languiſſet, diem ſupremum obiit. Magnæ abſorptioni cutaneæ occurrendo, et ita impetum humorum ad renes diminuendo, agere videtur.

III.—Quæ remedia huic conſilio conveniunt, ea ſubſequuntur.

a. Aſtringentia.—Hæc in ſolida ſimplicia agunt,

gunt, tonumque illis particulas, unde conflentur, ad ſe invicem propius accedere cogendo conciliant. Non parum auxilii, cum evacuationes ex aliis organis ſecernentibus morbidas ſæpe compeſcant, hoc in morbo promittere videntur. Cæterum renes, reliquum ſyſtema roborando, tantum firmant; ea enim nunquam dari notiſſimum eſt, quin effectus ſuos in totum corpus diffundant. Igitur hoc in morbo, qui minime renibus proprius eſt, ſed ſyſtematis univerſi communis, eſſe videtur, in primis neceſſaria ſunt. Eorum autem præcipua ſunt acidum vitriolicum, aqua calcis, aqua Bathonienſis, et Briſtolienſis, rhababarum, ut nonnullis placet, et alumen. Horum omnium periculum fieri poteſt; ſed palmam reliquis præripit alumen. Vel ſubſtantia, vel forma ſeri aluminoſi, adhiberi poteſt. Nunquam vero oblivifceris, hoc et reliqua adſtringentia parum prodeſſe ſolere, niſi liberaliter aſſumantur, et in uſu eorum ſatis diu perſtetur.

b. Tonica.—Plurima hornm, hoc in vitio, fuerunt adhibita. Eodem modo, quo adſtringentia,

agunt.

agunt. Non tantum renes, ſed canalem alimentarium, totumque ſyſtema, corroborant. Igitur nihil illis contra ſigna hujus morbi præcipua, concoctionem depravatam nempe, vireſque aſſimilantes debilitatas, efficacius facile reperies. In modum autem aſtringentium, quam maxime liberaliter ſunt adhibenda, alioquin parum proderunt. Præcipua ex hiſce ſunt cortex Peruvianus, præparata e ferro, amara, balneum frigidum, exercitatio, quam remediis curſum humorum ad ſuperficiem facientibus ſupra annumeravimus.

c. Stimulantia.—Hæc, vaſa languida et debilia excitando, tonum forſitan illis, et igitur univerſo corpori, aliqua ex parte conciliabunt. His haud dubie accenſenda eſt tinctura cantharidum. Cum ſucceſſu proſpero adhibita fuiſſe dicitur. Votis vero ad eam nuper confugientium minime reſpondit, quantitatibus etiam largiſſimis adhibita.

Quædam alia medicamenta, ut utilia, commemorantur; ſed modus, quo agunt, ex toto igno-

tus eſt. Hujuſcemodi ſunt gummi Arabicum, althæa, cornu cervinum, ichthyocolla, oſtrea, &c. Haud dubie ex toto innocentia ſunt, et ex toto quoque inutilia. Namque a multis plene tentata fuerunt, et nihil opis miſerandis ægrotis attulerunt. Opium, vel per ſe datum, vel adſtringentibus et tonicis adjunctum, et liberaliter adhibitum, magnopere profuit, et, nonnullis in exemplis, morbum omnino depulit.

Vir clarus, Carolus Keith, medicus Morpethenſis, ut pro certo accepi, opium diabete laboranti, longum per tempus, liberaliter præſcripſit, et quantitatem urinæ a libris ſeptemdecim, quæ ſingulis diebus excernebantur, ad quinque, aut circiter, diminuit. Ægrotus in morbum non poſtea recidit, ſed per pneumoniam, quæ morbo ita diminuto et levato ſupervenit, fuit raptus.

F I N I S.